



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Leorini Lavinga, Oppidvm Rhetiae
Amoenissimvm Ac Pervetvstvm, Sitvm In Ripa Danvbiana**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1567

VD16 R 1442

urn:nbn:de:hbz:466:1-12428




L. VI

9

Th. 5859.









NICOLAI

REVSNERI LEORINI
LAVINGA, OPPIDVM RHE-
TICAE AMOENISSIMVM AC
PERVETVSTVM, SITVM
IN RIPA DANVBI-
ANA.



*Additis in fine aliquot Elegijs ad
uiros clarissimos scriptis.*

LAVINGAE
Rhetorum Typis Emanuelis Salze-
ri, excusum, Anno 1 5 67.



NI
LEO
Rho

Al

A

B

Ex q

A

Inter

Q

Inge

L

Hic

C

Hic

Vib

I

Sal



NICOLAI REVSNERI
LEORINI LAVINGA, OPPIDVM

*Rhetiae amœnissimum ac peruetustum, situm in
ripa Danubiana.*

AD ANDREAM CRVSIVM VI-
RVM MAGNIFICVM.

Altera post hyemē pulsam iam vertitur aestas:
Brachia bis Titan pressit adusta Nepæ:
Ex quo Vindelica CRVSI digressus ab vrbe
Accolo Danubij grande fluentis aquas.
Inter et Aonidum sacros ascitus alumnos:
Quos Lauinga sinu diuite pulcra fouet:
Ingenij cœpi vulgares spargere dotes:
Et Clarij signis castra locare chorj.
Hic domus, hîc dulcis requies, hic patria fesso
Contigit: hîc mea me viuere fata volunt.
Hic iuuenile Deus decurrere molliter æuum
Et fato placidos det meliore dies.
Vrbs salue, celebris contermina fluctibus Istri:
Vrbs minimas inter non habitura locum.
Salue cara domus: cari saluete penates:
Cum doctis salue gnaua iuuenta viris.

A ij Fortunata

Fortunata nimis, sacris vrbs hospita Musis:
Ducere qua letos gaudet Apollo choros.
Quid primum, quid sine canam? quo carmine laudis
Prosequar, ut fas est, vrbs generosa, tuas?
Non ego te dubitem media regionis in ora
Teutonice Rhetos inter habere locum.
Quis neget hanc quondam crebris in cursibus
Imperij limen Roma fuisse tui?
Navis habet formā: situs est deuenus ad Alpes
Mœnia qua flumen nobile parte secat.
Panditur ad Zephyri vehementes Suenia flatus
Herculis Almanni nomine dicta Ducis.
Eurus ad Auroram Boiorum clauditur agri
Regna Palatinus Dux propiora tenet.
Francigenæ Boream spectant, septemq; triones
Excipit imbriferum Rhetia prima Notus.
Ergonec hyberno nimium plaga frigore torpet
Nec nimis æstiuis solibus vsta sitit.
Nec tibi temperies cœli moderata salubris
Deficit, aut culti fertilis vber agri.
Aëris æquatus puri te spiritus afflat:
Nec venti lædit pestifer vllus odor.
Non tibi sulphureæ subeunt per concaua ventæ
Nec rapido Titan excoquit igne fretum.

Putida nec tetras exhalant rura Mephites:
Arua nec illuvie sunt tibi fracta soli.
Saxa tenes subtus concreta perennibus undis:
Dulcibus ut tellus adfoueat aquis.
Algida latantes humectant flumina campos:
Sæpe solent fessis illa lenare sitim.
Nec densæ sterili surgunt hic arbore sylva:
Fertilibus passim terra virescit agris.
Maxima planicies campis exulta patescit:
Ac spatij æquis latius arua premit.
Oppida longinquo prospectu pluravidentur:
Tàm situs est huius planus & æquus agri.
Pascua nec pecori desunt, nec fontibus undæ:
Nec tellus herbis, arboribusq; caret.
Iugera depascunt pratorum lata iuvençj:
Lanigerum tondent gramina lata pecus.
Finitimos quercus montes, pinusq; coronant:
Consita labentes fraxinus ornat aquas.
Nauibus hinc abies accommoda crescit, & ilex:
Irrigui crescit fontis amica salix.
Quid saltus virides? quid amœnos gramine campos?
Quid latus segetes? culta quid arua loquar.
Non ager Aegypti fecundus, & vsibus vber,
Non laudi certet terra beata tua.

A iij Cedans

Cedant Hesperia, cedant tibi Delphica Tempora
Cedat & arboreis Ausonis ora iugis.
Lata bis hic quamuis ingenti fœnore frugum
Munera ruricolis grata rependit humus:
Alta licet Citrus puleris hic surgit in hortis:
Atq; humilis Paphiæ Myrtus amata Deo,
Ficibus hic gratis, oleis licet arua reudent:
Curuat asq; grauant Punica mala comas:
Quisq; suos oblectet ager: sit diues Amomo:
Cinnama cum costis, thuraq; læta ferat:
Gratulus his campis: huic nostræ gratulor vrbis:
Ister arenoso quæ secat amne solum.
Quæq; secat, grauidis vestitos frugibus agros
Prænatat: & liquidis vberimundat aquis.
Ister ad Auroram fœcunda per arua volutus
Teuonicas inter maximus Ister aquas.
Qualis in Aemonijs Peneus nobilis oris
Vndiq; rura ferax inter amoena fluit.
Qualis in Euganea fluuius Phaethontius vberis
Aurifer Hesperio qualis in orbe Tagus.
Confovet hic placidi terras clementia cæli,
Almaq; conuestit mœsibus arua Ceres.
Densa seges passim maturis flauet aristis:
Fructibus & fœtus semper abundat ager.

Gargara mirentur flauo ditissima cultu,
Miretur Lybia fertile sæpè solum.
Educat hîc hortus Lenæas cultior uas:
Quæ liquidi præbent dulcia dona meri.
Prunaq; luxuriant, & mala Cytonia ramis:
Et quæ sanguineo morali quore rubent.
Musæ nec quisquam pyra, iuglandesq; requirat:
Appositumq; tenent Persica flaua locum.
Sunt & præcoces cerasi: sunt mitia poma:
Sunt coryli, ciceres, ordea, pisa, fabæ.
Adde tot herbarum species, arbustaq; læta:
Quosq; suo flores parturit ora sinu.
Rosmaris hîc passim texendis apta corollis,
Floribus halantem spargit odora comam.
Naribus hîc gratam diffundit Amaracus auram:
Vere nouo violæ, lilia vere nitent.
Sed neq; Cupressus, nec Eryngion vtile nuptis,
Nec rosa purpurei plena pudoris abest.
Non croceum cingens Narcissus floribus albis:
Pulcer & infausto natus Adonis auo.
Quid Thyma? quid Nardi latè redolentis aristas?
Quid Casias virides, Iuniperumq; loquar?
Quid calthas? & quid cariophylla grata? quid
Quid Tilie flores, purpuræ sue rosas? (Irim
A iij Nec

Nec Thymbras graciles, maluasq; silebo? ^{sum}
Fructibus est amisi, foeniculiq; locus.
Ruta virescit passim saevis inimica colubris:
Quae dira prohibet mixta venena manu.
Salvia quam circum capiti, cerebroq; salubris,
Aut propè mollita surgit Hysopus humo.
Non tamen hic cistum, non mollis grana cumini
Transferim: flores non Melilore tuos.
O nimium felix campus: mala semina sulcis
Ni quoq; sparsa forent: quae modò prodit humo.
Infelix lolium, foedum quod virus in auras
Spirat: & hoc pacto germina lata necat.
Sic nihil excellit, quod idem sit criminis experti.
Adiunctum virtus maxima crimen habet.
Vnus ager tribulas, & lilia candida nutrit,
Mors simul exigua vitæq; crescit humo.
Quo verò fontes? & quo vos carmine dicam
Flumina? quæ lætis rura fouetis agris.
Brentia te, vario quæ ditæ oppida pisce?
Quàm vario diues vix fuit alta Pharos.
Te quæ sic dubio lapsu refluisq; fluisq;
Aemula Maandri Zuega feracis aquae.
Et te frondosis quæ vallibus vndiq; cincta
Amne susurranti mitior Aega strepit.

Vos Nymphæ Satyriq̃ colunt, vos Naiades vda:
Oreadum nouit vos Charitumq̃ chorus.
Est locus herbiferi propè ripam consitus Istri:
Pulcer & irriguis semper amœnus aquis,
Linea perfundunt hic velamenta colonj:
Dum superent albam versa nitore niuem.
Sol licet æstiuus vrat feruoribus agros:
Erigonesq̃ micet torrida stella canis:
Frondea populej præbent umbracula ramj:
Lentaq̃ vicino crescit in amne salix.
Alta nec alnus abest: nec fraxinus utilis hastis:
Gramineum velat fertilis herba solum.
Non valles Aetnæ, gelidi non mirer Helori:
Delitiæ cedant pulcer Adonj tuæ.
Cedat & Hemigenis labens sub rupibus Hebrus:
Orchomeni cedat, Panchæi cumq̃ solum.
Nec vos contulerim Peneia rura: nec hortos
Diuitis Alcinoj, Castaliumue nemus.
Parturit hic flores tellus currentibus vndis:
Prataq̃ muscoso mollia fonte sonant.
Tâm gelido: quàm si Brumali frigore manet:
Cum gelidam Boreas spargit ab axe niuem:
Tâm liquido: quàm sit lucens Aganippidos vnda:
Quàm sit Blandusiæ vitreus humor aquæ.

A v Applaudunt

*Applaudunt volucres : & mulcent cantibus antri.
Quæq; subest, placido sibilat vnda sono.
Sæpius hîc densa lassus requieuit in vmbra,
Proiectus tenero languida membra solo.
O volucres : ô gramen : & ô gratissima Tempe:
O sopor : ô cespes mollis ? ô vmbra leuis.
Quàm spectare iuuat tractus, habitumq; locorum.
Quàm Musis hîc est viuere dulce meis.
Sed neq; me tantum sub opacis frondibus vmbra,
Nec iuuat irriguis ora salubris aquis :
Nec liquidi fontes : nec consita frugibus arua :
Nec cœli facies, temperiesue locj :
Quantum, grata facit quæ sacris otia Musis,
Nuper ab illustri principe structa domus.
Principe, qui veræ pietatis idoneus auctor
Stirpe Palatina nobile stemma trahit.
Qui meritis urbem, donisq; frequentibus ornat,
Laudis & instituit tactus amore scholam.
Qui precijs animos doctas accendit ad artes :
Imbuit ac verâ cognitione Dej.
Quas non hîc artes haurit, linguasq; iuuentus ?
Quæ non autorum noscere scripta licet ?
Traditur hîc pulcro formatrix ordine lingua,
Quæ primis aperit grammata nexa modis.*

Quæq; secare dolos, & opertos soluere nodos,
Veraq; cum falsis cernere dicta docet.
Verbaq; mellito quæ format culta lepore:
Eloquij & facilem vimq; modumq; tenet.
Quid memorem numeris secreta volumina rerum
Quæ docet: & cælo sydera iuncta notat?
Tramite conuexum quo sol decurrat Olympum:
Quas obeat cursu Cynthia Luna vices.
Quæ simul abstrusas naturæ noscere causas:
Quæ medica morbos arte leuare docet.
Hinc quæ consilijs homines, & moribus vrbes,
Officijsq; iubet tecta domosq; regi.
Quid? quod & Historiæ campis spaciatur apertis:
Temporis & prisce discere gesta licet.
Sive Palæstims quæ facta leguntur in oris:
Sive Latij maus noscere iura soli.
Sive sub olympiadum cum Græcia floruit annis:
Cinxit & Iliacas obsidione domos.
Tum verò studijs sacra sunt æquata profanis:
Expediunt sensu calicæ verba pio.
Tamq; sonis viuus, calamo quàm diuine, veræ
Adseritur sanctum religionis opus.
Queris, an & leges sacras, & iura professi,
Arma grauis doceant ciuica ferre fori:
Omnibus

Omnibus ut studijs, sic hoc schola floret: habentq;
Diue locum libri Iustiniane tui;
Prætereo vates celebres: cultamq; Poësin;
Solavel ad mores ars facit illa bonos.
Numine mens vaturn viuax agitante calescit:
Vis & ab æthereâ non nisi sede venit.
Addimus his linguæ cultus, curamq; loquendi:
Attica siue magis, siue Latina placent.
Si Ciceronæi cultum bene dogma leporis,
Seu potius carmen dulce Maronis amas:
Quò minus hæc habeas, nihil impedit: omnibus
Personat in nostra scriptor vterq; schola.
Seu magis ore loqui placet Attica verba rotunda
Atticus orator, quod placet, ipse dabit.
Nec tacet Isocrates: suauis dulcedine lingue
Quo prior in Græca non fuit alter humo.
Quid loquar Iliacæ scriptorem cladis Homerum?
Quid loquar Ascræi carmina docta senis?
Quin etiam Solymis formamus vocibus ora:
Cara Deo quondam gens quibus usa fuit.
Quò feror? immensi res est memorare laboris
Omnia: cum linguis sint licet ora decem.
Quæ tibi si tenui coner perscribere versu;
Plus mihi, quàm in fas est, complacuisse ferat.

Sed mihi nec placeam, tibi nec placuisse laborem:
Si scriptis hæc non sunt potiora meis.
Non mihi vera loqui pudor est: neq. falsa fatebor:
Sincero residet nullus in ore dolus.
Felicem Dominum, si nulla concitus aura,
Quo pede iam cæpit, postmodò semper eat.
Felices populos, sua si nunc commoda noscant:
Commoda, quæ stupidum vilia vulgus habet.
Felices urbes, si leges artibus ornent:
Si studijs iustus non adimatur honos.
Mitibus his studijs legum veneranda potestas,
Iuraq. cum bellis, arsq. togata uiget.
Mitibus his studijs mores addiscere vitæ,
Naturæq. iubet mystica iura Deus.
Mitibus his studijs seruantur pacta fidesq.:
Magnorumq. Ducum conciliatur amor.
Vrbs etiam diues pecoris, ditissima frugum,
Ingenijs diues, diues abundat equis.
Edidit Albertum vetus hîc stirps nomine Magnum:
Quo prior in nostra non fuit alter humo.
Cuius si cuperem laudes æquare canendo:
Mentis inops dicar non meminisse me.
Ille vir est: studio qui indefessoq. labore
Naturæ nobis abdita nosse dedit.

Stat

Stat rebus contenta suis imperdita fama:
Gloria non ullo stat moritura die.
Singula quid referam? seu mœnia, siue domorum,
Seu populi cultus, munditiesque placent.
Seu circumfusus pagos, urbesque propinque
Seu magis artifices siue requiris opes:
Disperream, nisi sit satis his quoque dotibus autta.
Exiguo uirtus sub lare sæpe latet.
Arcibus æquandas urbs in se continet ades:
Instructas opibus sic satis, atque uiris.
Respicit occiduam qua parte feracior axem:
Arx super egesto condita colle iacet.
Ambiguum, positu melius defensa, manuæ:
Tuta satis fossis, tuta uidetur aquis.
Splendida porticibus surgunt hic atria latius:
Digna Ducum mensis, Cæsareaque dapæ.
Quo uero memorem templum memorabile uersum?
Antiqua sacrum religione patrum.
Augustum templum, niueis sublime columnis:
Egregium foribus, fornicibusque cauis.
Quæne satis laudem te curia uoce? domosque
Quæ uel habent fruges, seu uel arma tenent.
Quæque fouent agros homines, & rebus egentes:
Quos uel dira lues, pauperiesque premit.

Fortuna

Fortunata nimis Respublica: iura senatus
Tranquilla cuius florida pace regit.
Qui neq. luxuria corrumpi deside pubem,
Otia nec patitur perniciofa scqui.
Qui præcepta Dej benefactaq. suspicit alti:
Nec uendit uili sacra Deumq. cibo.
Commoda qui curat sacrarum uincula legum:
Lædere nec iustos fasq. piumq. putat.
Quid moror? immensū est certā de promere summa
Vrbis, & illustris (crede uir ample) scholæ.
Te quoq. quem ueteris commendant nomina gentis,
Laude super cæli sidera ferre decet.
In te non tantum ueræ pietatis imago,
Ingenijq. uigor, consilijq. nitet.
Tu columen studijs, tu dulce leuamen egenis
In doctos confers præmia digna uiros.
Quo non ingenuas artes complecteris æstu?
Quo non subsidio templa scholæsq. fones?
Præmia quæ sacris non præbes uatibus? arte
Scilicet hac præstas, ingenioq. uales.
Carmina testantur, sua quæ tibi donat Apollo:
Et lyra, quam præbet Calliopea libens.
Nec iucunda deest lepidis tibi gratia uerbis:
Eloquio multum nobilitatis inest.

Quid

Quid? quod es humanus: nec tu potes ipse negare
Dulcia conuietus membra fuisse mei.
Pro quibus ut tenuis referatur gratia factis:
Nominis hic fas est nos meminisse tui.
Crede mihi, mea si Letheos fugerit amnes
Musa, pia sermo posteritatis eris.
Carmina morte carent, & carmine cognita uirtus
Notitiam reges carmine gentis habent.
At tu perge diu Musis, uir magne, fauere:
Te quoque non paruum te manet inde decus.
Perge, nec exiguum precor aspernare libellum:
Ardua quod uirtus te pietasque iubet.
Senserō, perpetuas tibi pangam carmine laudes:
Aeternoque tuus tempore uiuet honos.
VALE.

AD GEORGIVM CR
COVIVM IVRECONSULTVM
ILLVSTRIS SIMI SAXONIAE
ELECTORIS AVGVSTI
CONSILIARIVM.

ME Lauinga tenet, Rhetis urbs culta colonis:
Parua, sed irriguis diues et vber aquis.

Sirius aestiuo findat licet arua calore:

Et succis demptis areat omnis humus:

Prata pererrantur lustrata perennibus undis:

Floribus hæc certant vallibus Ida tuis.

Terra ferax Cereris, pinguisq; uligine glebæ

E gremio largas diuite fundit opes.

Perq; relucens viridanti gramine campos

Perspicuas fontes eiaculantur aquas.

Hic ego dego locis: hic emollita iuuentæ

Artibus & linguis imbuo corda rudis.

At non Mysorum sic hinc reuocatus ad oras

Polliciti tue oriura fidemq; mej.

Noni equidem, nec uana fides: me nempe iubebas

Ad uos hinc tecum **CRACO** referre pedes.

Vota uenire tibi mea sæpe fuere: Vicissim

Impedièrè meum fata (recordor) iter.

Est aliquid fati concedere: nemo beatus

His aduersari credidit esse pium.

Nec nihil hoc prohibet sæuæ contagio pestis:

Bellæq; Saxonice quæ modò cernit ager.

B Outmans

O vtinam lætus belli iam finis adesset!

O vtinam pax hanc longa bearet humani,
Scis benè scis bello nihil esse nocentius: omne

Nempe malum belli fert vitiosus amor,

Nulla salus bello: reuerentia nulla Deorum:

Armorum strepitu publica iura silent.

Optima pax rerum: pax oppida seruat & viros

Pax ciues æquos regnaq; tuta facit.

Pace viget pietas, & legum sancta potestas:

Gloria Musarum pace pudorq; viget.

Sed Deus illa suo moderabitur omnia nutu:

Qui dabit, vt Martis cesset in orbe furor,

Si qua mei tamen est in te quoq; cura relicta:

Nomen inoblito corde fer, oro, meum.

Summotumq; pari studio tueare, fideq;

Ne sperata meam deserat aura ratem,

Non tibi dedecori, nec ero, vir magne, pudor;

Gratia nec meriti surda futura tui est.

Quantumcunq; mee laudes & scripta valebunt

Officio dabitur scilicet omne tuo.

AD VALENTINVM FORST
RVM IVRECONSULTVM

Dum tu iustitiæ sacras moderaris habenas:
Verbosiq; colis iura seuera fori:

Nos iuuat Aonidum studijs Forstere fororum

Quod rebus superest temporis omne dare.

Quæq; legat nostri memor olim serior ætas

Carmina securæ fingere mentis opus.

Sapè pater studium quid, ait, sectaris inane:

Arma velim discas ciuica ferre fori.

Sapè meæ dixi, tandem discede, Thalia:

Constitit ad vulcus protinus illa meos.

Sapè, piget, dixi, toruum blandita tuenti

Carmen ait, quid te scribere dulce piget?

At tibi forsan opes, quæstusq; probatur inanis:

Gazæq; virgineo plus Helicone placet?

Demens qui rutilum confers virtutibus aurum:

Virtus et dicit, nobilitatq; virum.

Auro nobilior virtus, regumq; triumphis:

Viuimus hæc solùm: cætera mortis erunt.

At non Meonides bona magna reliquit in orbe?

Nomen ab exequijs ille perenne tulit.

Quid sacer ille Maro? teneri quid lusor amoris?

I nunc et vanas i mibi præfer opes.

B ij Lingus

*Lique forum tristesq; reos : fac sacra Camenæ
Dulcibus : hæ clarum nomen ab arte dabunt.
Sic me sæpè rogans, sic blandis vocibus vsa,
In solitum tandem Musa retraxit opus.
Vincor, & ingenium studio renouatur ab isto.
Desertoq; iterum carmina pango foro.
Haud facile est tacitos naturæ expellere motus.
Ingenij debet semina quisq; sequi.
Scilicet ad mores facilis natura reuerti:
Nescia mutari, fixaq; sola manet.
Sic ego nunc versu duro sæpè obsto labori.
Sic ago cum Musis decipioq; diem.
Luctibus hæ requiem, curis solatia præbent:
Quoq; modo possunt tristia fata leuant.
At tu quandoquidem Deus hunc tibi famulo
Vt res ore Ducum consilioq; regas:
Ex animo fruiere hisce bonis : iurisq; tuendi
Sit tibi Perpetuus, sit tibi Sanctus amor.*

AD ANDREAM CR
SIVM BRVNOSVICENSIS D
TIONIS PRÆFECTVM.

EN quisquam Clarias etiānum suspicit artes?
Nec sibi iam versus scribere turpe putat?

Quā benè florebant olim cum gentibus vrbes:

Quā virtutis erat magnus, & artis honos:

Cum magni studijs reges, Musisq; vacarent:

Victricisq; darent carmina facta manu.

Nunc antiqua iacet sacri reuerentia vatis:

Priscus & Aonia concidit artis amor.

Carmen in humana modò spretum sordet in aula:

Gratia parvati, carminibusq; datur.

Ecce recēns mercator, opum studiosus & auri,

Præfertur Charitum, Pieridumq; choris.

Sic igitur dulces fas est contemnere Musas?

Sic fragiles sortis pendere pluris opes?

Iamq; fames rutili tanti sacra ducitur auri:

Venalisq; fides, ambitioq; levis.

Scilicet exiguo vigeant vt tempore Musæ:

Ne studijs doctis postera turba vacet.

Regnaq; barbaries inuadat rursus, & vrbes:

Servitioq; suo docta Lycea premat.

O pereat, strepitus lucri quem sordidus vrget:

Ac virtute magis copia magna iuuat.

B

ij

Qui

Qui curis animum mordacibus enecat agrum;
Cogat ut Attalicas irrequietus opes.
Quem simul improbitas popularis ventilat aura;
Nec dubijs vitam vendere cessat aquis.
Non ego diuitias miror, non Persica regna;
Fortuna fragiles pendo minoris opes.
Nec me quaestus iners, nec habendi caeca cupido,
Non vulgi tangunt murmura blanda vagi.
Si non mensa mihi Sarrano sternitur ostræ
Regia: nec pura splendet onyce scyphus:
Nec suffulta nitet mihi foribus aula columnis:
Strataq; Sidonio murice tecta rubent.
Nil moror: exiguus voti sine diuite cultu
Maxima sub tenui regna tenebo casa.
Dulcia iucundo deducam carmina vultu:
Digna vel à sera posteritate legi.
Nec magis optarim mihi regia cedere sceptris:
Non gazas Arabum, diuitiasue Midae.
Tempus edax rerum gemmas consumit et aurum:
Ingenij toto durat in orbe decus.
Summa petant alij: mare terraq; seruiat illis:
Nec satis hoc: stolidi Tartara caeca petant.
Tantum ne Musas dulces lucrentur auari:
Et satis hoc: aliquid pauperis esse sinant.

Te quod magnorum CRVSI flos optime vatam:
Non leuis ambitio frangit, opumue litis.
Tempus in Aonio consumis vertice lætum:
Aula licet cura te grauiore premat,
Maſte vir ingenio felix, & diuite vena:
Maſte nec ingenij deſpice dona tui.
Vere Pieridum felicibus vtere donis:
Nec te maiorem regibus eſſe puta.
En dudum Thymbraꝯ comis, & Daphnide lauro
Muſa parat capiti ſerta gerenda tuo.
Quod neꝯ regna dabunt, neꝯ pondera diuitis auri:
Aonia poteris arte parare decus.

AD EVNDEM.
IN ANNVLVM SIBI AB EO
DONATVM.

Q Vem mihi donasti, gemmis auroꝯ coruſcum,
Annulus æterni pignus amoris erit.
Aurum ſinceri teſtis mihi certus amoris:
Gemma virens memorem me iubet eſſe tui.
Crede, tui potero quando deponere curam,
Non auri, gemma non valor ullus erit.

E iij In

IN ECLIPSIN LVNAR
QVÆ APPARVIT ANNO IESV
CHRISTI M D LXVI M. VIII.
BR. D. XXVIII.

Vesper adest : spissisq; diem nox obruit
Sidera flammiferas explicuere faces. (brui
Iamq; sub Hesperias declinat Cynthius undas:
Terga venenati qui premit ima Nepae.
Quem propè germana Mauors in sede locatus,
Nescio quos seuo denotat ore metus.
Quid? Venus æquali Libræ quoq; lance recepta
Tethyos æquoreis cum Ioue gaudet aquis.
Iunxit Atlantiades gressus, cæloq; recessit:
Cum Ioue, cum nata maluit esse Iouis.
Ecce quid hoc? longa marcens ætate, puella
Amplexu fruitur clàm propiore senex.
Fallor? an Erigone roseo suffusa pudore
Lumina nunc titubas conspicienda dare.
Casta licet semper fueris, acceptaq; cælo:
Ferre tamen placida vix ea mente potes.
Cynthia quid? venit ecce venit velamine nigro
Abdita: nec tremulo lumine victa rubet.

AE En insigne caput, pleno caput orbe refulgens,
IES En terræ tenebris occultit vmbra citis.
III. Dic Dea, quæ liquidi contemplan's ætheris astra,
Sidereos motus mente vicesq; notas.
Quid nigris Phœbe sibi vult obducta cauernis:
Quæ Taurina ferit cuspidè terga Draco?
Sic ego: sic retulit non multis Diua morata:
Dum loquitur, pulcro conspicit ore polum.
Delia dum terræ later vmbri's, indiga lucis:
Tertia iam cæli pandidit hora fores.
Aspice, Mars framea multum metuendus & hasta,
Quàm læua Phœbes lumina fronte videt.
Sede sua residens radios obuertit acutos:
Duraq; nescio quæ, mox fore fata monet.
Impia quàm vereor germani sanguinis arma:
Bellaq; cum motu seditiosa graui.
Rarus amor fratrum: concordia rara, fidesq;
Raraq; cognatæ gratia gentis erit.
Pax erit hæc illis, dum vis Phœbea remittat:
Cum placidis ouibus quæ solet esse lapis.
Crescet amor cædis: certamina mutua crescent:
Alter & alterius tendet in arma manus.
Qui cervice gerunt hostilis vincula dextræ:
Aut quorum duro compede crura sonant:
B v Quin

Quæ per externas errant à sedibus oras:
Fortuna metuant noxia tela mala.
Mille modis clades signantur, mille periclis:
Præstiterit, placida qui mala mente feret.
Nec satis hoc: animas ponent animalia passim
Languentes medijs tabe recepta vijs.
Quem modò vidisses spumantia frena ferocem
Mandere, sæpè lue concidet æger equus.
Quid? quod fama malum, quo non veloc iussu,
Effundet vires mobilitate suas.
Tota fremens, æs tota sonans, commenta loquetur
Mille, per innumeras ære lapsa vias.
Mixta vagabuntur cum veris ficta: metusq;
Non procul hinc, rerum pessimus augur, erit.
Augurium trahet omne uia peiore: timori
Assolet in peius pronior esse fides.
Sic ait Vranie: nec longa silentia feci:
Aurea, respondi, quid Cytherea notat?
Sexus, ait, dura muliebris spicula sortis
Sentiet: & magno damna dolore feret.
Nec tibi fors melior portenditur aula, tuusq;
Pasiphaëus scæuus dum premit astra Draco.
Lis passim, demensq; suas discordia vires
Exeret: & populos coget in arma feros.

Proini dubio signantes limite campos
Sternere bellorum mœnia clade uolunt.
Cuius & subdent infesta pericula cæco
Marte: uelut nusquam cætera bella forent.
Nec scio, quò seruos perducet gratia: sancta.
Immemores fidei, pollicitiq; dati.
Pertrahet hic uerbis Dominum, vultuq; benigno:
Perfidus interea dissimulator erit.
Ille nefas animo tentans, periuria primum
Celabit: falso mox seret ore dolos.
Securusq; mali, fati securus iniqui;
Interimet scissa seq; suosq; fide.
Quid? quod morborum signat discrimina multa
Lesa Deæ cauda uirus habente domus.
Quos longum memorare foret: falsissima uates
O vnam met uam tot mala: iure precer.
Quisquis es, humanæ sortem prænosce uita.
Signaq; uenturi disce timere mali.
Dixerat: & fuscis iam Luna redibat ab umbris:
Plena per humentes se retegebat equos.
Mox Dea: ne dubites, uates operose, timoris
Accipe quo tanti tempore finis erit.
Cymbius auratum pecoris cum vellus adibit:
Noueris hæc uires explicuisse suas.

Hactenus:

*Haftenus : & vultu, si plura requirere vellem,
Se mihi difficilem non fore Diua nuit.
Erubui : gratesq; Deæ verecundior egi :
Officij pactus iura fidemq; me.*

*IN DEFLECTIONEM SOLIS, QUAE
EST FACTA ANNO M D L X V I I
V. ID. APR.*

*AD BARTHOLOMÆVM REV.
NERVM MEDICVM DOCTO.
REM.*

*N*unc ego funesti nunc mille pericula Martis,
Nunc vereor miseram bella datura necem.
Nunc clades vereor trifles : nec vana vereri
Signa monent, magni conscia signa mali.
Quis putet ? en soror en intercipit impia fratri,
Lumen : ab hoc vno nec nisi lumen habet.
En nigro Solis vultus obducit amictu :
Oporet vt attonitos languidus abdere equos.
Videris, & tenebras Erebum liquisse putabis :
Aetheris ac viduas Solis ab ore domos.
Videris, ingentisq; fatebere signa doloris :
Nec spernenda metus nuncia dira noui.
Heu funesta dies. heu satis tristibus orta :
Horrida prodigijs, ominibusq; dies.

Heu mihi, speratis etiam grauiora feremus:
Nescio quæ clades sera, sed ampla venit.
Nunc tibi nunc animosa caue Germania: tristis
Impendet capiti quippe ruina tuo.
Nunc bene cauta vide, ne flexo poplite turpè
Succumbas, hostis dilaniata manu.
Heu procul adducto miserè torqueberis hoste:
Illius infesto sub pede tristis eris.
Quid mirum? patriæ validas in viscera vires
Versuri ducent horrida bella Duces.
Ac proprio tinctas fœdabunt sanguine dextras,
(Proh scelus) ac nusquam cætera bella forent:
Et iam poenarum satis est, & cladis abundè:
Peccatis hominum nec tamen aqua satis.
Discite mortales reuereri numinis iram?
Fidenti auxilium poscere corde Dej.
Ille Deus, nulla fati qui lege tenetur.
Fata potest nutu tollere cuncta suo.
Tu quoq, qui mala tanta vides, dum consulis astra,
Sanguinis è ingens pars animiq, mei:
Posce Deum mecum pacem, lentamq, quietem:
Cesset in toto Martius orbe furor.
Orandum: sancta prece fit placabile numen:
Supplicibus votis flectitur ira Dej.

AD

AD NICOLAVM REV
NERVM LEORINVM GEORGI
FROBENIVS.

BObra quidem spacijs longinquis distat ab
At distant tanta non duo corda nra.
Est aqua, quae uocem duo flumina cogit in unum.
Est amor, hic unum nos facit esse duos.

AD GEORGIUM FRO
BENIVM NICOLAVS REV
NERVS.


BObra quidem longè celebri superatur ab
Non tu me, nec ego te superabo fide.
Flumina tot gremio pontus complectitur unum.
At certare duos nos facit una fides.
AD EVNDEM.


ὅς ὁδεῖρ τίλεται ἴσος φιλότητ' ἁμεινωτ'
νδρ' ὅταν εἰλικρινῇ ἄνδρες ἔχουσι φίλοι
καὶ γνώμαις ἀγαθῇ τε φύσει γεγαῶτες ὁμοίῳ
ἄγχουροι, καὶ ὁμῶς ἡλικίης εἰσι δύνω.

καλὸς γὰρ καλῶ χαίρει, καὶ ὁμοίῳ ὁμοίῳ;
καὶ παῖς παιδὶ, γέροντι ἐπὶ γέροντι φίλῳ.
ἰδίῳ δὲ γυναικὶ γυνὴ καὶ πρόσφορον αἰεὶ
γλῶττα ἔχει; νέῳ αὖ καὶ νέῳ μετ' ἐνέῳ.
καὶ μὲν ἐγώ σε μάλιστα φιλῶ, ἐμὲ σὺ δὲ μάλιστα
ἐκγεγονας πάτρης σὺ μετ' ἐμῷ μίαις.
ἴσαις νυνὶ πατρὶς, ἴσαις νυνὶ χρώμεθα τέχναίς;
ὅζ' ἴσῃ σεο νυνὶ καὶ μέο φοῖβ' ἔρα.
χαῖρε πάλιν φίλε χαῖρε, πάλιν τε φέρισε; γενεῇ
ἡμετέρῃ καὶ σέμει πῶς φιλότῃ τετέλεσται. οἶον

MI ERJ

111a





REUSNE
opuscule





RELIGIONE
opuscule







Handwritten text in a historical script, possibly Latin or Greek, on the upper part of the book's spine.

Th
5859